



Sanctus Piligrinus eruditio[n]e & pietate reliquo[s] omnes Boiariæ incolas suæ ætatis superauit. Itaque omnium consensu Bathaviensis Episcopus constitutus est. Hanc functionem magna dexteritate administravit, atq[ue] uitæ innocentia reliquos ad pietatem adduxit. Itaq[ue] Geyzo rex Vngariæ, qui adhuc idola colebat, huius uiri sanctitate permotus, ad eum legatos misit, atq[ue] suas gentes Euangelio pascere iussit. Id cum Piligrinus percepisset, assumpto secum S. Vuolffgango uiro doctrissimo, ad Vngaros profectus, quinq[ue] millia eorum sacro fonte lustravit. Captivi Christiani, qui eò undiq[ue] terrarum abacti fuerant, certatim suam sobolem ad Baptisma deterebant, atq[ue] alios ut idem facerent, adhortabantur, quod ad presentē diem nemini licitū fuerat. Verūm cū proceres regni magno conatu resisterent, regnum illud eo tempore ad Christum perducī non potuit, donec postea S. Steffanus Geyzæ filius, cœptum à Piligrino opus perficerit. Hoc modo Piligrinus apud Benedictum 6 pontificem, & Ottонem Magnum Cæsarem, ipsumq[ue] Heinricum Bauariæ ducem, in magna authoritate extitit. Cum autem suam ecclesiam optimè per multos annos administrasset, tandem magno omnium lamentatione moritur, & in sua Ecclesia honorifice sepelitur. Auent.lib.5